

Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum
die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

a P. Hieronymo Pecz, Bibliothecario Mellicensi, conscriptae
at a † P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Conclusio. vid fasc II. h. ai. pg. 278—282.)

Anno 1744 die septima Januarii nuptiae inter Archiducissam Austriae Mariam Annam, sororem nostrae Reginae, et Carolum Ducem Lotharingiae, fratrem mariti Reginae nostrae, Viennae solemnissime celebrantur. Illa a Regina nostra Gubernatrix Belgii creata, postea cum conjuge in Februario Vienna abiens, comitante eos Regina et ejus marito usque in Stockerau, Bruxellas 26. Martii salva advenit, a Belgis maximo cum gaudio et sollemnitate excepta, deinceps cum viro suo pari honore Belgium gubernatura. 20. Aprilis Dux Carolus Lotharingicus, nomine Reginae nostrae homagium accepit a Belgis Austriaeis.

Eodem anno 1744. 26. Januarii Excellentissimus D. Comes Ludovicus de Khevenhüller, supremus campi Mareschallus et Commandens urbis Viennensis, Viennae, proh dolor! moritur an einem innerlichen Brand, anno aetatis 60., et omnium dolore et luctu apud Scotos a nostro D. Abbate Adriano 29. Januarii sepelitur, Reginae, militibus, omnibusque Austriaeis charissimus Dominus, et fidelis, prudens, ac praeclarus Minister ac miles, qui anno 1741 Gallos et Bavaros ex Austria nostra, et specialiter ex superiori ejecit, et maximam partem Bavariae eodem anno occupavit, ac demum 1743 ex tota Bavaria et Palatinatu expulsos usque ad Brisgoviam ad Rheni oram persecutus est. Requiescat in pace. Visitatus est in infirmitate sua a Regina, et reliquit systema belli prosequendi adversus Gallos et Bavaros.

Die 7. Februarii visus est cometa cum magna cauda in Austria, quem et ego post octavam horam vespertinam hac die et sequenti non sine aliquo horrore aspexi, qui et praecedentibus diebus ab aliis observatus fuit, vero ob turbidum aërem duobus diebus sequentibus non apparuit. Quid portendat, exspectandum. Forte gravem inundationem aquarum, praesertim Danubii, quae, soluta glacie, secuta est, et tum in Austria, tum praecipue Viennae maxima damna in suburbiis causavit. E novis Viennensibus: 1. Januarii Friburgo in Brisgovia scriptis 1744 nempe hujus anni: Hussari nostri fere sine intermissione Rhenum glacie obductum transiere, et multos captivos, pecora aliaque inde abduxere. 7tima ejusdem 600 eorum munitionem Gallicam in insula Marchionatus Badensis erectam a Gallis invasere, et occisis aliquot Gallis, et captis remearunt. Eodem die excurrere in diversa loca et inde praedas abduxere. Id quod Gallos excitavit ad diligentius loca sua custodienda ex altera parte Rheni.

Die 22. ni fallor Februarii haud procul a portu Toulon, in mari mediterraneo sito, proelium navale comissum est inter classem Hispanico-Gallicam et Anglicanam, in quo Angli superiores exstiterere, et Hispani

cum Gallis ad portus Hispaniae Alicante, Cartagena et Barcelonam ventis impellentibus se recipere, Anglicana vero classis, ut fertur portum Mohonis petiit. Hispanicus Admiralis supremus fuit Navarro, qui cum suis strenue se gessit, Gallicus fuit La Court, Angelicus Mathews, qui Contra-admiralem, cum aliis 10 Cappitaneis arrestavit, eo quod officium suum rite non impleverint. Exspectatur certa relatio hujus proclii ex Anglia. Illud certum, quod Galli, qui dicuntur Hispanos deseruisse in proelio, cum ipsis victi sint; id enim argumento est, quod Reges Hispaniae et Galliae omnia in silentio habuere, quae gesta sunt.

Per Austriam mensibus Februario, Martio et Aprili, multi milites in Bavariam ascenderunt, iterumque et Tzaikistae cum suis navibus. Rex Galliae publice bellum terra marique Regi Angliae 15. Martii indixit, ejus declarationis tenor in novis Gallicis exstat. Rex Angliae ex foedere debitos 6000 Batavos petit et obtinet, similiter a foederatis suis, scilicet Imperatrice Russiae 12 naves bellicas, vel 12000 militum, item a Rege Borussiae 10000 et a Duce Saxoniae incertum numerum. Gallica classis 6. Martii Bresto egressa adversus Anglos, et partim in Dünkirchen appellens, tempestate gravi exorta in mari dissipatur, et multae naves, militibus onustae ante Dünkirchen periire, ut dicitur submersis 2000, reliquae navis vehementer concussae et damnificatae, atque ita tota classis Brestum rebus infectis rediit, ejus Admiralis dictus Roquefeuille paulo post apoplexia tactus moritur. Princeps Lobkowiz, nostri in Italia exercitus Dux, Hispanos usque in Neapolitanum Regnum fugientes persequitur, cum Hispani loca Pesaro, Fano etc. nostris insequentibus reliquissent. Hispanis in Regnum Neapolitanum fugientibus se jungit cum exercitu suo Carolus Rex Siciliae, ejusque uxor Gaëtam se recipit.

Viennae instituuntur publicae preces triduanae pro felici armorum successu, quibus ante et post prandium per unam horam devotissime interfuit Regina nostra cum suis per integrum triduum. Deo gratias. Regina nostra cedit Ducatum Placentium cum aliis adjacentibus quibusdam terris Regi Sardiniae, qui paulo ante Hispanos et Gallos in suas terras penetrare volentes fortiter repelit, ingenti praeda accepta et multis eorum occisis, ac captis, Hispani et Galli per aliam viam scilicet comitatum Nizzensem tentant penetrare in Italiam, et urbem Nizzam desertam ab hominibus Regis Sardiniae occupant et, ut fertur, 400 Piemonteses milites captivant. 20. Aprilis Hispani et Galli aggreduuntur Pedemontanos Regis Sardiniae apud Villa-Franca, durante inter eos pugna acerrima 8 horarum spatio, in qua Galli et Hispani 400 occisos et totidem vulneratos numerant, ut ipsi fatentur, contra vero Pedemontanorum 1200 capitvorum cum Comite de Susa Generali, et vexillis aliquot, ut Galli vulgant. Rex Sardiniae in hoc proelio cepit eorum 520 praeter multos officiales. Magnam tamen cladem passos fuisse Gallos et Hispanos certum est, et nova Viennensia retulerunt eorum 7000, partim caesos, partim captos, et vulneratos fuisse. Interim tamen hostes montem Albanum, arcem Villae-Francae, et 6 Retrachement cum multis tormentis ceperunt.

Bellum in Belgio inter nostram Reginam ejusque foederatum Regem Angliae et Gallos instruitur. Rex Galliae 26. Aprilis Reginae nostrae bellum publico edicto declaravit. Regina nostra vicissim scripto bellum indicit Regi Galliae, cujus scriptum typis excusum exstat, in quo Regi objicit praeter alia, quod Turcam adversus eam incitaverit, quamquam frustra, et Suecos ad bellum cum Imperatrice Russiae, ne illa subsidia nobis dare posset; item mihi dictum, Reginae vitae insidiosos quosdam per veneni porrectionem.

Rex Sardiniae per naves Anglorum e Villa-Franca suos milites salvat in Oneglia, et nova subsidia pecuniaria a Rege Angliae petit. Bavari apud Philippsburg castra metantur, et noster exercitus in Imperio apud Heilbrunn. Princeps Lobkowiz in terram Abruzzo penetrat, cum Rex Siciliae Hispanos a nobis eo propulsatos in fidem suam receperit, eisque auxilium tulerit. Rex Galliae ad suum exercitum in Flandria in persona accedit, venitque Valencennas, Cameracum, Quercetum et Duacum, sua praesentia suis militibus animos additurus. Rex Angliae ob foedus antiquum ab Hollandis accipit 6000 milites cum 20 navibus bellicis, eosque sollicitat, ut apertum bellum una secum Gallis indicant, quod ipsi impedire intra spatium duorum mensium laborant, et ideo Legatum, Comitem Warsenaer, ad Regem Galliae mittunt, et quid effecturi sint, exspectandum. Hic Comes benigne quidem exceptus fuit a Rege zu Rissel, sed efficere non potuit, ut Rex coeptum in Belgio bellum abruptat, dicens, coeptum consilium de bello in Belgium-Austriacum se amplius intermittere non posse, cum ipsius conatus ad faciendam pacem cum Regina nostra irriti haecenus fuerint

Galli post occupatam civitatem Cortrik, et Warneton obsident Menin, in qua civitate satis munita, erat praesidium Hollandicum (cum sit una ex Barrier = places) cum 1500 vel 1600 militibus, praeside Barone de Echten, et intra 4 vel 5 dies petente loci praefecto capitulationem die 4 Junii eam occupant, ipso Rege in urbem ingresso. Militibus liber egressus fuit permissus cum 4 tormentis, 2 Mortiers et 6 curribus tectis, ipse vero Commendans, supradictus Baro e morbo vita discessit. Porro Galli per Flandriam excurrere, petentes foenum, avenam et usque ad portas urbium Oudenarde, Gent, Brugga. Post captam Menin pergunt Ypram. Noster exercitus in Imperio apud Philippsburg, ubi exercitus Ducis Bavariae stat, pergit 3000 militum austriacorum auctus, et inter Hussaros ac Banduros cum ipsis varii conflictus leves. Hispani et Galli in Italia varia loca in valle Barcelloneta occupant, deserta a Pedemontanis, inter quae conantur per Pedemontum in Italiam penetrare. Interim Mathews Admiralis Anglicus ad insulas Hierenses se confert, exspectaturus classem Hispano-Gallicam. Princeps Lobkowiz, nostri in Italia exercitus dux, versus Romam pergit, et Rex Siciliae cum suis illi obviam pergit. Idem Lobkowizius in urbem cum Officialibus suis ingressus, audientiam Papae petiit et obtinuit, habens ad latus ense suum, qui ei dedit coronam seu rosarium cum aureo nummo, adamantibus ornato, horologium et duo

Sanctorum corpora, iidem quoque Officiales aureo nummo donati sunt a Papa, cujus pedes exosculati sunt. Haud multo post cum quadam parte terram Abruzzo intrat. Rex Poloniae simul et Dux Saxoniae Varsoviae venit, dietam Regni habiturus. Princeps Frisiae orientalis obiit absque haeredibus, et Rex Borussiae utpote haeres eundem Principatum occupavit.

Exercitus Ducis Bavariae longo tempore prope Philippsburg consistens, et a nostris saepe per parvas velitationes lacessitus, tandem trajecto Rheno sub finem Junii Gallis hostibus nostris se coniunxit, auctus 3000 Hessis. Hinc videas, qui Dux Bavariae cum nostra Regina et Imperio agat.

Famosus ille Menzl, cujus saepe memini, die 26. vel 25. Junii, cum ex insula quadam Rheni, dicta Maulbeer-Au prope Stokstad, ubi pontem et munitionem e regione Gallorum habuimus, Gallis cum clamore insultans, globo ab hostibus in parte inferiori corporis mortaliter trajectus post 5 vel 6 horas mortuus, et in Gernsheim prope Rhenum sepultus est. Ita finit vitae suae cursum non in acie sed in dicta insula, multum meritis de Regina nostra et Austria ob ejus liberationem a Gallis; ante mortem adhuc de rebus suis testamentum fecit. Requiescat in S. pace.

Exercitus noster apud Rhenum, Duce Principe Lotharingiae Carolo, in duabus partibus feliciter et absque ullius nominis jactura Rhenum trajecit. Prior quidem pars cum praedicto Principe prope Schreck supra Philippsburg, altera vero prope Weissenau apud Oppenheim cum maximo stupore hostium. Factum id in nocte Visitationis B. Mariae V. scilicet a 1. ad 2. diem Julii. Hoc laetum nuntium primus nobis in Monasterium cum cursore publico adveniens noster Postae Praefectus die septima Julii attulit, quem ille accepit a D. Stappel Generali Adjutante, transeunte Viennam. Qui urbem cum 4 cursoribus publicis ingressus Reginam, totamque Viennam magno gaudio affecit. Generalis Nadasti Hungarus, et Baro de Trenk, ductor Bandurorum, primi cum suis Rhenum transgressi sunt; nam dictus Baro de Trenk primus in navim insiliit, suos magnopere exhortatus ad se sequendum. Bavari trans Rhenum consistentes, ubi nostros superasse Rhenum viderunt, statim fugerunt, quos nostri insecuri usque ad eorum castra, eorum tria Regimina equestria aggressi sunt, et in fugam egerunt, atque ex eis 37 captivarunt multosque partim occiderunt, partim vulnerarunt, et castra ab iis relicta occuparunt, et depraedati sunt. Porro Galli apud Weissenau exiguam resistentiam nostris fecere, et in adventu nostrorum fugerunt, et deserto Oppenheimio, usque WORMATIAM a nostris pulsati sunt. Comes Nadasti et Baro de Trenk volentes aggredi Bavaros trans Rhenum positos jussi sunt a Carolo Principe lineas in Lauterburg a Gallis obsessas aggredi.

Pars exercitus nostri in Italia in Abruzzo civitatem Aquilam aliaque loco occupavit. In exercitu Principis de Lobkowiz quidam signifer cum 16 transgressus est ad Hispanos, et iis prodidit tesseram militarem; tum Hispani nostros aggressi sunt, et post longum certamen e nostris

unum Generalem Pestaluzi dictum item 1 Obristen, et hujus locum-tenentem cum 270 captivant. Quod factum apud Velletri die 16. Junii. Nova Gallica de Monte Rotundo scripta habent, quod Hispani, Siculi et Neapolitani e nostris Austriacis 400 caeciderint, et 600 ceperint. Andivi autem aliunde, nostros milites a vino Italico ebrios fuisse et nimium potasse. Nostri Hispanis 205 mulos farina onustos eripuerunt. Gallo-Hispani in Comitatu Nizensi Onelliam ultro deserunt, et mutato consilio non per terras Genuensis Reipublicae, sed rursus ut anno priori, per Barcello-netam vallem in Pedemontium irruere cogitant, et Gallorum pars relicta Nizza, et transmissa Varo flumine in Antibes portum Provinciae remeavit. Iidem apud molendinum de Piselia a militibus et rusticis Pedemontanis repulsi et fugati sunt, multis eorum caesis et relictis in fuga sarcinis.

E novis Viennensibus: 3. Julii. Nostri civitatem Lauterburg et lineas apud eam factas Gallicas per deditionem occuparunt, Gallis obligatis ne per unum annum contra nos militent. Haud multo post etiam urbem Kronweissenburg (ambo haec loca iuris Gallici sunt) eadem conditione ceperunt, Duce Nadasti, cum suis Hungaris Croatis et Banduris. Vix autem eam ceperunt, et in eam milites Hungari numero fere 700 cum eorum Tribuno, Comite de Forgaz, impositi fuere, advenere primae cohortes consistentes in 2 Regiminibus equitum hostilis exercitus, quos aggressus Comes Nadasti partim occidit, partem cepit simulque unum par tympanorum, et duo vexilla illis ademit. Statim vero totus exercitus hostium, conflatus ex Gallis, Bavaris et Hassis numero 36—40000 apud Kronweissenburg in ordinem se collegit. Nadasti vero cum suis 10000 in eos impetum fecit, et cum iis 8 horis fortissime dimicavit, et multitudine hostium oppressus, e proelio excessit, monito Comite de Forgaz, ut civitatem cum suis deserat. At hi praesidiarii non audientes imperium Tribuni sui incredibili audacia et fortitudine noluerunt loco cedere, sed cum hostibus leonum fortitudine, ut ipsi adversarii ajebant, depugnabant ad unum omnes, qui hostes locum per vim et assultum occuparunt. Scriptum ex ipso loco Weissenburg, quod nostri obstinatione extrema se defenderint, qui erant omnes Hungari, Croatae et Banduri. Nostrorum his duobus proeliis universim 1000 partim caesi, partim captivati desiderati sunt, inter quos captivatos etiam erat Comes de Forgaz. Hostium vero ceciderunt in proeliis hisce 3000, vulnerati 1000, captivati vero 389, item unum Standart, et unum vexillum hostibus ereptum. In quodam scripto circulari nostrae Reginae dictum, ultra 5000 caesos et captos et vulneratos. In novis Gallicis ex Weissenburg scriptis dictum, quod nostrorum duo vel tria millia occisa sint, ipsi vero hostes tantum 500 amiserint, multo tamen plures eorum vulnerati fuerint. Alii plane dicunt nostrorum caesos fuisse 4000, et captos 6 vel 700. Hostes ipsi affirmant, incredibili et inaudita fortitudine a nostris Hungaris, Croatis et Banduris depugnatum fuisse.

E novis Gallicis: Ypra urbi Flandriae Austriacae, in qua erat

praesidium Hollandicum, per modicum tempus a Gallis, praesente Rege, obsessa se dedit post satis virilem resistentiam, per quam satis multi Galli periere, et vulnerati sunt, a Gallis 25. Junii praesidium abire permissum est, cum omnibus honoribus militaribus. Aditum quoque castellum Kroch ibidem se iisdem submitit 20. Junii. Inde Galli Furnes oppugnant. Urbium istarum munitarum perditio facta est, quia noster exercitus conjunctus Anglis et Batavis nihil egit contra Gallos, sed ob lentitudinem Hollandorum semper in castris sine resistentia haesit. Atque ita Galli, exercitu foederato ob lentitudinem et discordias feriente, Meninum, Ypram, aliaque loca ceperunt. Proh dolor! Paulo post etiam Furnes post 3 fere dierum spatium se iisdem Gallis dedit. Transitus nostri exercitus super Rhenum multum turbavit consilia Gallorum in Belgio, inde jussu Regis fere ad 20000 in Alsatiam in auxilium Comitis de Loigni missa sunt, atque ideo Galli in Belgio ab oppugnatione aliorum locorum cessare coacti sunt, qui magno adhuc exercitu in Belgio, sub duce Comite de Sax, remanente captas urbes praesidiis et munimentis providerunt.

Legatus Gallicus, quia deprehensus est ex litteris illius interceptis in Russia turbas moliri, ab Imperatrice jussus est ex urbe Moscovia inter spatium 24 horarum exesse, et postea ex toto Regno Moscovitico. Vide quid facendum Gallis, in alienis curiis. E novis Viennensibus. Noster exercitus in Alsatia multis diebus ob inundationes pluviarum et fluminum operari nihil potuit, donec 26. Julii decrevit aggredi Gallos Bavaros et Hassos apud Hagenau urbem munitissimam. At hostes id audientes sponte hanc urbem et lineas destruxere, et usque Argentoratum se recepere, statimque noster exercitus et urbem et lineas absque ullius hominis iactura occuparunt. En iterum miram Dei in nos misericordiam! Etiam ex utraque ripa nostri arcem Fort-Loius undique cingunt, et arctant. Hussari nostri in fuga Gallorum multos ex eis caedunt et captivant, aliasque praedas ceperunt, hostes vero foenum et paleas aliaque incenderunt.

6. Augusti. Nostri milites in Bavaria et Palatinatu positi versus Bohemiam pergunt et primas cohortes Comes Festetiz 6. Augusti in Bohemiam inducit, reliquus exercitus duce Comite Bathyani proxime sequitur, sieque cum Bohemis militibus conflatus exercitus 50 aut 60000 militum. Id factum eo fine, quia dicebatur Rex Borussiae Bohemiam et Moraviam invasurus. Et certe die II. Comes de Dohna, Legatus Regis Borussiae in aula nostra, eidem valedicens, et Reginae nostrae intentionem sui Regis exponens hic Mellicii transiit. Ingens rumor his diebus fuit. Regem Borussiae bellum cum Regina nostri moliri.

Die 10. Augusti. Regina nostra cum marito suo Ponium in Ungariam per aquam profecta est, habitura, ut creditur, cum Regni hujus Primatibus consilium de bello Prussico. Die 26. Viennam rediit.

21. Augusti venit Viennam Comes de Althan, qui etiam hic Mellicii transiit, et a quo per nostrum Postae Praefectum hoc nuntium accepimus cum hisce iucundis novis, quod noster exercitus in Italia die

11. Augusti Hispano-Neapolitanum exercitum aggressus sit apud urbem Velletri in confiniis Neapolis et Romaniolae, atque illius tres legiones equestres totaliter caeciderit, quatuor vero legiones pessime habuerit, quodque eorum Subgeneralis, Marliani nomine, cum 87 Officialibus et 1000 gregariis a nostris militibus captus fuerit. Idem Comes ab Althan 9 vexilla secum Viennam attulit, vexilla vero equestria vulgo Standart a nostris Croatis capta iidem Croatae iterum abjecerint. E tamen, ut e novis Gallicis potest, Rex Siciliae cum Hispanis suis, quorum subsidia et suppetias ad 4000 e Majorcana insula acceperat, victoriam sibi attribuit. Ita semper partes adversae omnia in dubium trahunt, et semper suum proprium damnum imminuunt, hostium vero augent, suaeque commoda amplificant. Viennae ob hanc victoriam nullum publicum gaudium ostensum, nec Te Deum Laudamus habitum nec cursores publici sonantibus cornubus, ut alias fieri solet, urbem ingressi sunt. Hoc ideo factum creditur, ne Elector Saxoniae, ejus filiam Rex Neapolitanus in conjugem habebat, offenderetur, cum idem Elector nobiscum foedus inierit, anno, ut puto, superiori, et vi hujus promiserit, se nobis adfuturum contra hostes nostros, nosque eidem certas favorabiles condiciones concesserimus.

Rex Borussiae violans fidem Reginae datam per factam cum ipsa pacem postea motiva sua, ut scilicet succurrat Imperatori, reddat pacem Germaniae et Europiae, scripto edidit. Hic Rex aperte sane violavit pacem cum Regina nostra, intrans in Regnum Bohemiae cum exercitu suo 80000, multisque tormentis per Glaz et Sweidniz e Silesia, itemque per Lusatiam et Saxoniam in Albi flumine tormenta adferens in navibus. Item cominatus est, ut habent nova Gallica, etiam invasurum se Moraviam cum 30000 militibus, et Olomucium et Brunam obsessurum. Intravit autem iam in Augusto Bohemiam in circulos Königgrätz et Bunzlau, voluitque jam 28. Augusti stare ante Pragam obsidendam, quod tamen postremum nec dum die sexta Septembris factum audivimus. Praga a nostris militibus, militia provinciali, ac victualibus aliisque necessariis ad resistendum optime provisum, ac insuper exercitus noster, qui ex Bavaria et Palatinatu collectus in Bohemiam ingressus est, studiose vigilavit in hostem sub Generali Hungarico Bathyani. Porro, ut ex scriptis authenticis jussu Reginae Viennae in 8 phylaris editis, et compositis a D. de Bartenstein legi, Rex Borussiae novum occultum foedus iniiit cum Duce Bavariae hac conditione, ut Bavarus ei cedat in Bohemia tres circulos scilicet Königgrätz, Bunzlau et Leitmeriz, ad quos dixit se habere praetensionem, pro quibus Rex dictus reliquum Bohemiae in favorem Bavari promisit se occupaturum, insuper idem promisit eidem Duci Bavariae Austriam superiorem, si is eam occupaverit, se facturum, ut hanc regionem tuto conservet in posterum. En Bavarus in extrema angustia positus de Bohemia, in qua nec passum pedis habuit, ita disposuit, et partem ejus Regi Borussiae se daturum pollicitus est, atque ita novum bellum Reginae suscitavit. In citatis scriptis Viennensibus Rex iste aperte dicitur trina iam vice nobiscum pacem violasse, et non servasse fidem nobis datam.

Adductum est integrum pacis instrumentum in Klein Schellendorf in Silesia, conditum inter Regem hunc et Mindfort, Angliae Legatum, ac nostros Comitem de Neuberg in Silesia tunc existentem, et Generalem Lentulum, quod hactenus instrumentum petente Rege Borussiae, ut in summo silentio haberetur, ne suis antea foederatis, Gallis et Bavaris, de eo quidquam constaret, in eo etiam silentio permansit; hoc anno autem 1744 Regina nostra publicari voluit ad ostendendam inconstantiam, et dolositatem Regis Borussiae, et ad exprobrandam illi perfidiam suam. In iisdem scriptis memoratum fuit, Regum Borussiae praecipuum auctorem et suasorem fuisse ut quidam boni Episcopatus, quorum primum ipse nominavit Salisburgensem propter Bavari Caesaris sustentationem saecularerentur, quoniam Regina nostra de suis terris nihil ei cedere volebat. Idem Rex Berolini publicari fecit, uti et per suum Legatum Comitem de Dhona tantum e scriptis praelegi jussit nostris Ministris Viennensibus motiva sua, cur bellum cum Regina gerere decreverit, quae etiam in Novis Gallicis integra inserta fuere, in quibus multis, sed falso insimulavit eam, dixitque in fine eorum, se nihil hoc bello quaerere (quod, quam falsum sit, patet ex supra dictis) quam dignitatem Caesaris Bavarici, Imperii tranquillitatem, et totius Europae pacem. En! quanta arrogantia in hoc infido, doloso, et haeretico Principe.

Cum ergo Regina nostra certa iam esset de bello Borussico, jussit fere omnes legiones suas e Bavaria et Palatinatu in Bohemiam contendere, quod et factum, relictis tantum necessariis praesidiis in munitioribus Bavariae civitatibus. Insuper (quod nostros adversus Gallos progressus in Alsatia plurimum impedit) jussit, ut Princeps Carolus cum suo potenti exercitu, relicta Alsatia, Rhenum iterum transiret, et in Bohemiar pergeret. Quod etiam 23. Augusti factum absque multa nostrorum iactura, quod amplius e novis Viennensibus adnotabitur. Galli sparsere, in hoc nostro reditu et paulo ante nos ad 5000, suos autem ad 12000 amisisse, et multos nostrorum captos, quosdam etiam rupto ponte uno in Rheno submersos. Similiter Gallos nos insecuturos in fuga cum Bavaricis copiis, quod tamen primo ex certis novis Viennensibus, aliisque indifferentibus locis audiemus. Bavari interim ob bellum Borussicum et nostrum ex Alsatia reditum maximo gaudio affecti sunt adeo, ut Duci Bavariae, adhuc Francofurti esistenti, de media nocte, ut illi in novis Gallicis vulgarunt, cum 12 postillionibus sonantibus cornubus nuntium de reditu nostro attulerint.

Galli cum Hispanis in alpibus castrum Demort Regi Sardiniae adimunt, ingenti incendio in hac arce per globos igneos ab hostibus immissos exorto, totoque praesidio capto. Rex Galliae post capta Meniu, Ypram et alia loca Reginae nostrae, auditoque nostrum exercitum in Alsatiam penetrasse, volens eidem in persona succurrere, Metis graviter usque ad mortem infirmatus etiam Ss. Sacramentis 14. Augusti munitus fuit, postea tamen iterum convaluit et 4. vel 5. die Octobris Argentoratum venit cum summo plausu et gaudio incolarum exceptus. Admirali Anglico

in mari mediterraneo successit Lord Roulai. Baro de Trenk cum Banduris apud Thein in Bohemia 4 Bataillones Prussorum aggreditur eorumque 150 occidit, 38 capit et Thein hostibus adimit, suorum vero amisit 20, inter quos erat Comes de Esterhazi, Rittmeister.

Die 13. Septembris Princeps Carolus Dux Lotharingiae Mellicio Viennam transiit, veniens ab exercitu, et apud Reginam habitis multis consiliis, iterum Mellicio ad exercitum perexit 24. ejusdem mensis.

31. Augusti hujus anni 1744 statua aerea S. Joannis Nepomuceni Pragensi in ponte collocata dicitur se ultro vertisse ab una parte ad alteram, scilicet versus ecclesiam metropolitanam, in monte seu castro Hratschin sitam. Nuntiatum id Praga Reginae nostrae, et ejus, nempe S. Joannis icones in aes incisae cum dicta conversione Viennae publicatae et a me visae fuere. Quid autem hoc prodigium portendat, hactenus ignotum. Certe proh dolor post hoc signum Rex Borussiae Pragam cepit, scilicet 16. Septembris post 7 dierum obsidionem, Harschio loci Commendante, cum suis et se et urbem hostibus dedente, cum praesidium nostrum compositum fuerit ex 4000 militum regularium et 12000 provincialium militum, seu Land-Miliz qui omnes facti sunt a Rege Borussiae captivi, et insuper omnia tormenta, et apparatus bellicus et ingens annonae copia eidem in praedam cessit. Ex certa relatione didici Harschium Commendantem in urbe Pragensi 16. Septembris capitulationem cum hoste fecisse sub conditioni liberi exitus praesidii ex urbe, atque hoc negante Rege Borussiae, eodem die se ad discretionem cum suo praesidio dedidisse. Certum etiam, milites provinciales ex timore abjecisse arma, contra Croatis, qui pars praesidii erant, vehementissime tali capitulationi resistantibus, quod merito laudi datur huic populo. Interim Harschini liber ad Reginam abiit rationem sui facti redditurus, qui autem propterea, quod ei faveat maritus Reginae, qui etiam eundem Pragae Commendantem fieri curavit, vix poena debita afficietur. Harschius iste non tamen permissus est reginam adire, sed in Hungariam missus scripto rationem reddidit. Fertur hostes, dum Praga per assaultum occupata fuit, nonnisi 30 mortuos habuisse, inter quos fuit Marggravius Fridericus Wilhelmus, Regis consanguineus, qui adstante pene Rege globo tormentario e Praga omissis occisus fuit. Hic princeps mortuus Berolinum abductus, et ibidem sepultus fuit cum magna Pompa, ut inde relatio confirmavit. Vulneratos autem habuisse dicuntur Porussi 66.

Die 17. Septembris Galli, postquam nomine Ducis Bavariae tamquam Imperatoris urbes sylvestres Waldshut, Rheinfelden etc. occuparunt uti et Villingen in sylvia Hercinia aliasque ditones austriacas, petierunt etiam a Constantiensibus ad lacum Brigantinum in urbem admitti, at illis introitum negantibus, cum in urbe Croatas, Banduros et Hussaros habuerint, Galli inde recesserunt. Item elector Coloniensis militibus Ducis Palatini ad Rhenum transitum per suas terras negat, cum tamen esset frater Ducis Bavariae, Caroli sic dicti Imperatoris. E novis Viennensibus: Mirowiz in Bohemia Praefectus Vigilum Daeroffi e nostro exercitu

caedit 4 Esquadrones militum Prussicorum captis uno Rittmeister, 2 Wachtmeister, 3 Corporallen, et 3 Trompeter, cum 8 militibus et 111 equis, quodque e Prussia aegre 10 elapsi fuerint, equi relictis sunt nostris militibus. Item Viennae Prussici desertores magno numero adveniunt, quorum multi in servitia Reginae transeunt. Item Budweis a Porussia occupatum, libere inde egredi permissis nostris Croatis, similiter et Frauenberg et Tabor, ac Thein aliaque loca. Cursor publicus missus Londinum ab Electore Saxoniae Hagae Comitum narravit, 2000 Saxoniorum militum in Bohemiam ituros, utrum in auxilium nostrae Reginae, vel ob quem finem, nova Viennensia non expresserant. In proximis vero Viennensibus relatum fuit: In Octobri Saxones numero 20000 cum multa re tormentaria sese nostro exercitui certo conjunxerunt. Bavari Donauwerdam, in qua tantum 30 nostrorum pro praesidio erant, occupant magno numero advenientes, et nostri ex urbe per pontem in alteram partem evaserunt, et se in munimentum e terra erectum abdiderunt, indeque pontem salvare intendunt, et Grenadiriorum Bavaricorum per pontis transitum nostros aggredi volentium 400 vel 500 occidunt, atque e suis paucissimis occisis et vulneratis ulterius se receperunt. Ita Bavari et Rheno nos insequentes primo pedem per occupationem hujus loci in Bavariam posuere. Item quidam cursor Bavaricus in mense Octobri cum propositionibus quibusdam ad supremum Cancellarium Reginae nostrae venit, quid autem contineant, necdum rescivi.

Die 14. Octobris jussu Rmi. D. Abbatis nostri in Prioratum convocati sumus, ubi P. Prior ex commissione dicti Rmi. proposuit, Reginam nostram a Statu Praelatorum donum gratuitum per 100000 fl. petiisse, cumque dictus Status in 50000 tantum primum concessisset, per supremum Cancellarium suum D. de Seilern eidem insinuavit, se propter instantem belli necessitatem sperare a Praelatis dicta centum millia florenorum. Insuper praefatus Cancellarius obtendentibus Praelatis, se debere posthac minuere religiosorum suorum numerum, et peritura quaedam tenuiora Monasteria, si tantis exactionibus et petitionibus posthac gravandi essent, respondit, deinceps Monasteria ad pauciores Religiosorum numerum reducenda, et Praelatos Bohemiae ac Moraviae longe plura passos, quam Austriae. Auditis itaque istis post P. Priorem omnes, necessitatem temporum considerantes, consenserunt, ut aliqua notabilis quantitas pecuniaria mutuo acciperetur. Dixit autem P. Prior, nostrum Monasterium ad hoc donum gratuitum debere dare 11000 millia florenorum, et jam quoque imminere aliam contributionem, vulgo die Vermögen Steuer.

Additamenta ad nova et res gestas Anno 1746.

Galli 1746 in Belgio Namur cum toto comitatu, et Montes in Hannonia cum toto comitatu, ut superiori anno, ni fallor, totam Flandriam et Brabantiam armis occupant, cum exercitus foederatus, conflatus ex Austriacis, Anglis et Hollandis, ob defectum virium quamvis fortis esset ex fama ad 80000 militum, iisdem sufficienter resistere non possit, plurisque Hollandis qui Namurci, Montibus, Tornaci, aliisque

locis in praesidio erant, post obsessionem in captivos belli redactis. Ceterum in Germania superiori omnia tranquilla erant, quamvis Rex Borussiae irrupturus denuo in Bohemiam et Moraviam timeretur. Quod tamen non evenit metu Imperatricis Moschovitarum, cum qua novum tractatum defensionum iniit Regina nostra die 2. Junii 1746.

In Italia vero res nostrae, et Regis Sardiniae ac Anglorum, initio quidem dubiae, sub finem vero Deo largiente admodum secundae et prosperae fuerunt. Nam Hispani, Galli, et Neapolitani cum Genuensibus, etsi fuissent foederati per totum ver et aestatem ac auctumnum variis proeliis factis tandem a nostris in Septembri, ni fallor, graviter caesi sunt. Post haec Genua urbs se nobis dedit cum plerisque Reipublicae locis terrestribus et maritimis, ac ceteris, in quibus adhuc erant Galli Hispani ac Genuenses milites post brevem resistentiam, et se Regi Sardiniae ac nobis dederunt. Inter quae praecipue urbes et portus Final, Savona, Vintimiglia, aliaque, ut a deo tota ditio Genuensis in potestatem nostrae Reginae redacta sit. Savona post obsidionem primo se dedit Regi Sardiniae, 16. Decembris 1746 praesidio facto in belli captivos. Tum enim vero in auctumno exercitus noster cum Regis Sardiniae militibus conjunctus, pulsus de loco in locum Gallis et Hispanis, toto Comitatu Nizzensi potitus est, ac etiam Tortona, hactenus bloquata se dedit per capitulationem. Denique 30. Decembris totus noster exercitus foederatus fluvium Varo transit, ab Anglis ex parte maris adjunctus, Gallis fluvii litus cum paucis tenentibus, et fugientibus ad nostrorum adventum. In transitu tamen 80 Croatae ob impetum fluvii submersi sunt, et unus Capitaneus Grenadiorum captus fuit ab hostibus. Tum nostri provinciam Galliae Provence dictam invadunt, statimque praeter alia loca Vence, Grace occupant, et postea Antibes circumdant. Rex Galliae ex Belgio aliisque suis provinciis milites multos in Provinciam mittit.

Cum nostri Genuam tenerent, Genuenses coeperunt contra eos insurgere, quibus omnia tormenta et arma ablata fuere. Factum hoc in Decembri inter 6. et 7. diem noctu, cum 7000 Genuenses cum Bergschützen nostros aggressi sunt ex improvisu et ex utraque parte magnus conflictus ortus, Generali de Botà urbis Commendante cum tamen nostri urbem contra eos post rebellionem retinissent. Nostri in Provincia insulas S. Honorati et Margarethae, urbem Dragni aliaque loco occupant. Rex Borussiae Catholicis nostris potestatem fecit, publicam ecclesiam Berolini aedificandi, et ibidem liberum exercitum Religionis agendi, edito ea de re diplomate Potsdami die 22. Novembris 1746.

E novis Viennensibus: Prussi Principatus Troppau et Jägerndorf nobis relinquunt, et rustici Silesii adversus nostros milites iaculantur, quorum multi a nostris Hussaris partim occiduntur gladio, partim captivantur. Item nostri per Landshut in Hirschberg in Silesiam penetrant, ibique 200000 fl. contributiones sumunt, resistentibus primum rusticis montanis, postea se deditibus. Item 27. Novembris totus

noster exercitus per Hirschberg et Zittau per Riesengebirg in Silesiam penetrat.

30. Novembris Prussi Lipsiam, Merseburgum, et Wurzen per capitulationem occupant, Rege interea Pragam cum conjuge se recipiente, 4. Decembris. Similiter Prussi Saxones in Superiori Lusatia caedunt fere 800 et in hac terra se conservant in Nov. Item in sylva nigra rustici rebellant, et urbem Walshut obsidere parant, quorum multi a nostris occiduntur et captivantur. In Italia Hispani et Galli totam terram, Casalis dictam occupant, uti et castrum Asti post duorum dierum obsidionem.

Die 9. Decembris Julius Comes de Troyer electus est Episcopus Olomucensis. Noster exercitus in Decembri rediens e Lusatia per Bohemiam pergit in Saxoniam versus Dresdenam, ibidem se cum 8 nostris legionibus et Saxoniceis copiis conjuncturus contra Prussos. Paulo post Saxones cum nostris 8 legionibus conjuncti, nondum praesente toto nostro exercitu, vincuntur ita a Prussis ut Saxonum ad 3000 desiderentur, nostrorum vero ad 150 fere.

In Corsica Bastiam urbem capitalem Angli capiunt. In Bohemia magis semper numero crescunt rebelles, imo et in Angliae provincias penetrant, Carlile, aliasque civitates capiunt et ubique praedantur.

In novis Viennensibus nuntiatum fuit, inducias armorum inter Reginam nostram, Regem Prussiae ac Poloniae in Saxonia et Bohemia die 24. Decembris 1745, et in Silesia 28. ejusdem mensis factas fuisse, statimque pacem inter illos die 25. ejusdem mensis initam fuisse. Deo gratias! Ad hanc pacem ineundam multum contulere Angli, Hollandi, et Imperatrix Russorum, quorum primi, ut dicebatur, multas numarias supetias mittere voluisse Reginae nostrae ferebantur, ac insuper Imperatrix Russorum cum magno exercitu contra Regem Prussiae itura spargebatur.

Die Mosaikschule der Benedictiner zu S. Severino in Neapel.

Von P. Sarcander Navrátil, O. S. B. in Raigern.

Die Thätigkeit des Benedictinerordens in Italien ist durch die Aufhebung der meisten Klöster und durch Einziehung ihrer Güter, die von Seiten der italienischen Regierung als National-Eigenthum erklärt wurden, fast brachgelegt worden. Nur in ganz wenigen Klöstern wurden die Mönche belassen als Wächter des National-Eigenthums (custodi della proprietà nazionale). Die drückende Lage, in welcher sich diese wenigen belassenen Klöster befinden, lassen es erklärlich finden, dass ihre Wirksamkeit nur eine sehr beschränkte sein kann. Auf Monte Cassino besteht und gedeiht bis nun ein Diöcesanseminar und ein Convict-Lyceum, welchem selbst Parlamentsmitglieder, auch der gewesene Minister